Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2569

Quelle:
Copyright:

alias retulit; *Bibliothecarii Ord.* vero T. I. p. 694. eam leviſſimo digito tangunt.

XVIII. *fol.* 150. p. 2. *Epiſtola bildegardis ad clericos colonienſes.* Initium: *Qui erat et qui eſt et qui venturus eſt paſtoribus eccleſiarum* &c. Adjungitur *Expoſitio prioris de eberſpach ciſt. ord.* videlicet *Gebennonis* ſaepius memorati. Epiſtola eſt inter *Editas p.* 157.

XIX. *fol.* 152. p. 2. *Tractatus Henrici de Haſſia de probatione ſpirituum.* Initium: *Sicut in phyloſophia motus et operaciones referri conſueuerunt* &c. Iam ſaepius relatus, ut *Index* docet.

XX. *fol.* 162. *Tractatus magiſtri Nicolai Oram* (Orem, Horem, Oreſmii) *contra iudicia aſtrologie.* Exordium: *Multi principes et magnates noxia curioſitate ſolliciti vanis nituntur artibus occulta perquirere et inueſtigare futura. Ad eius erroris impugnationem ordinaui tractatum qui ſequitur in hunc modum. In primo cap. monſtratur quod principes debeant ſtudere in aſtroloya. In 2°. inducitur quomodo reges aſtrologi fuerunt infortunati. In 3°. oſtenditur ad quid debent intendere principes. In 4°. arguitur generatim contra aſtrologos. In 5°. determinatur que pars aſtrologie ſit ſectanda et que non. In 6°. docetur qualiter principes ſe debeant habere ad artes mathematicas. In 7°. ſoluuntur raciones adducte in principio queſtionis.* En conſpectum Opuſculi, quod cum tot aliis argumento eſt, nulli aevo defuiſſe, qui Verum perviderent, quodque vel noſtro ingeniorum ad abſurda prurientium et inſanientis ſapientiae conſultorum ſane quam feraci non absque fructu legeretur. Exempli alterius in Bibl. *S. Victor. Pariſ.* exiſtentis meminit *Launojus Acad. Pariſ. illuſtr.* P. III. L. I. c. 1. ubi de Autore.

XXI. *fol.* 168. p. 2. Quaeſtiones Theologicae II. pertractatae. Prior: *Vtrum chriſtus homo veriſſimus ſit legislator rectiſſimus.* Altera: *Si chriſtus ſaluator mundi violenta morte non fuiſſet occiſus, vtrum ſecundum humanitatem ſenio defeciſſet et mortuus fuiſſet, an immortalis permanſiſſet et in eternum vixiſſet.* Otioſum commentum.

XXII. *fol.* 176. p. 2. Literae Univerſitatis *Pariſinae* in cauſſa Schiſmatis inter *Bonifacium* IX. et *Benedictum* XIII. datae *Anno domini* M^mo. CCC^mo. *nonage*^mo. *quinto 26*^ta. *die menſis auguſti*, ut ad calcem. Ineunt: *Vniuerſis chriſti fidelibus Vniuerſitas paryſienſis zelantiſſima pacis ſalutem — Quoniam ante paucorum menſium ſpacium ad abolendum ſciſma nequiſſimum, quod catholicam inquinat eccleſiam et letali iam tam diu vulnere ſauciauit. chriſtianiſſimi francorum principis edicto nobis imperatum erat vias quasdam ydoneas exquirere* &c. *Datum in congregatione noſtra generali apud ſanctum Maturinum ſuper hoc ſpecialiter celebrata vnanimi facultatum nacionumque conſenſu ſancto quoque vt credimus interueniente ſpiritu.* Viae illae idoneae erant aut *Ceſſio* aut *Compromiſſio* aut *Concilium* gene-